

DEO OPT. MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-quartâ mensis Aprilis, anno Domini M. DCC. LXIII.

PRÆSIDE,

M. JOANNE-NICOLAO MILLIN DE LA COURVEAULT,
Doctore Medico, Scholarum Professore designato.

An optima morborum προφύλαξις, *inedia?*

I.



MISEROS mortales! vitam vivere non autumant, nisi imperanti serviant gulæ. Dum verò in saginandis, farciendisque ventribus toti sunt, malorum iliadem ad se ultrò arcessunt. Mundi tamen coæva, antiquissimaque Medicinæ pars, *Hygieine*, tutelæ instar, præsidiique, quidquid vitam sustentare & à morbis securam efficere valeat, benè provida sedulò disquirit. Hinc de salubribus & insalubribus esculentorum, potulentorumque

viribus, &c..... ſancitæ leges, obſervatione confirmatæ ſanitati conſulunt. Sub duplici reſpectu ab *Hygieine* conſideratur ſanitas, vel illæſa & incolumis, ideòque in eodem ſtatu ſervanda; vel omnibus cauſis ipſius ruinam minitantibus obnoxia, & idcircò ab illarum invaſione vindicanda. Poſterior hæc *Hygieines* pars dicitur προφύλαξις ſeu *præſervatio*. Satis ſit illius efficacitatem comprobare unico duntaxat exemplo, eò tamen majoris momenti, quò magis innoteſcit. In Atticâ graſſante teterrimâ illâ peſte quæ nefandâ populorum devaſtatione potiſſimùm infamis fuit, licet ſtragibus undequaque circumdatæ, integræ tamen & quaſi ſacro-ſanctæ in medio ſteterunt Athenæ. *Prophylaxin* appriinè callens Cous ſenex, aërem heterogeneis miaſmatis, effluviis, vaporibuſque mali moris contaminatum meritò incuſans, per Athenarum vicos ignibus accenſis, nonne peſtem depulit? Longè plura à *Prophylaxi* beneficia expectare etiam nunc licet; nec igne ſolo ſed pluribus aliis mediis, quorum optimum ſanè cenſendum, quod generalioribus morborum cauſis celeriùs, potentiùſque occurrit.

I I.

MISSIS procatharcticis & proximis cauſis, in remotis ſeu prædiſponentibus, Plethorâ ſcilicet & Cacochymiâ, unicè noſtræ Theſeos vertitur cardo. Iis quippe rerum non naturalium abuſus vel prava indoles plerùmque ortum præbet. Licet cuique ætati, tempeſtati, temperamento, ſexui, peculiares adſcribantur morbi, à duabus tamen hiſce cauſis ſopita foventur ferè omnia malorum genera, quæ à prædeterminante causâ tantùm expergeſiunt: imò nullum eſt vitium etiam ſolidorum, nullaque corporis conſtitutio, antiquorum *temperies*, quæ à Plethorâ & Cacochymiâ pendere non videantur. Propriis phænomenis innoteſcunt cauſæ remotæ. Plethora, quæ propriè ſanguinis & bonorum ſuccorum redundantiam ſignificat, fibratum craſſitiem, torporem, colorem cutis roſeum, polyſarciam, pulſum durum præ ſe fert, & hæmorragiis, ſomnolentiæ, vertiginoſæ capitis gravitati, inflammationibus, omnibus demùm ex acutorum genere morbis ut plurimùm favet. Nam *in exercitantibus boni habitus ad ſummum progreſſi, periculoſi, ſi in extremo fuerint; non enim poſſunt in eodem manere, neque quieſcere. Cum verò non quieſcant, neque ultra poſſint in melius proficere, reliquum eſt igitur ut in deterius ruant* (a). Cacochymia quæ eſt pravorum humorum quantitas in vaſis ſanguineis & ſecretoriis, fibrarum exilitatem, mollitiem, atoniam, colorem pallidum, corporis macilèntiam ſecum trahit, morboſque pertinaces & chronicos inducit, quales ſunt Leucophlegmatia, Aſcites, Rachitis, Schirrus, &c. Per utriuſque prædiſponentis cauſæ connubium, pro alterutrius majori vel minori intenſitate, parantur morbi medii, id eſt Plethoræ ſimul & Cacochymiæ participes, ut Rheumatici, Arthritici morbi, Variolæ, Scorbutus, Struma, Phthiſis, Carcinoma, &c. Carcinoma præſertim peremptorium hujuſce miſcelæ exemplum exhibet, cum nihil aliud ſit quam Schirrus, cui acceſſit inflammatio. Profligatis igitur duabus prædiſponentibus cauſis, declinantur effectus numeroſiſſimi qui corpus humanum ſolent infeſtare. Quâ autem viâ Plethora & Cacochymia tutiùs, citiùſque arcebuntur? In promptu eſt inedia indicationibus abundè ſatisfaciens.

(a) Hipp. Aphor. 3. Sect. I.

I I I.

QUÆ antea intulerunt vulnus, nunc ferunt opem res non naturales. Ex earum penu eruuntur remedia morborum *prophylactica*. *Primaria*

hæc habentur, *abstinentia, quies, potus aquæ calidæ, deinde blandus & aliquandiu continuatus motus usque ad initia lenis sudoris, tum posteà somnus largior corpore benè tecto* (*a*). Nonnulla quidem ab iis manare possunt emolumenta; sed majora desiderantur. Cum verò nihil præstantius, nihil optabilius bonâ valetudine sit, nullaque pejor conditio quam morbosam vel morbo proximam vitam agere, designatis mediis superaddendum ducimus, ut sanitas ab ingruentibus morbis salva citiùs evadat, nec mala per longas invaleant moras. Abstinentia nimirùm, alimenta quædam licet parcissima concedens, Plethoræ lentiùs medetur, difficiliùsque Cacochymiam pessumdat: impura enim corpora vel leviter nutrire, lædere est. Quies, somnus largior humorum lentorem à Plethorâ jam inductum quadantenùs alunt. Aqua calida novam cacochymico corpori laxitatem conciliat. Motus demùm ad initia sudoris continuatus, vel quidquid ad Gymnasticen refertur, bona mixta malis nunquam non producit. Alia sunt etiam vulgò usurpata quæ ad *Prophylaxeos* metam non minus obliquè tendunt. Hinc *plurimi falluntur, dum se primo die protinùs sublaturos languorem, aut exercitatione, aut balneo, aut coactâ dejectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant* (*b*). Ad inediam igitur, tanquam ad sacram anchoram, confugiamus, cum nullis urgeatur vitiis & utrique causæ remotæ accommodatior rectiùs collineet.

(*a*) *Boerrh.* Inst. Medic. §. 1050.

(*b*) *A. Corn. Cels.* Medic. lib. 3. cap. 2.

I V.

PER inediam nec summam virium prostrationem, nec squallidum corporis marcorem, ut quidam volunt, sed omnimodam intelligas alibilium abstinentiam, quæ certos intra limites reposita sanitatem restituit, nedum subvertat; morbos, nedum inducat, procul amovet. Reverà quidem quoties novis succis defraudabitur plethoricum corpus, quotidianis deperditionibus redundantes succi evanescent, totiesque Plethora citissimè tolletur. Nec minora cacochymico corpori ex inediâ venient commoda. Illius namque beneficio prava digestio fœcunda Cacochymiæ parens imprimis præpedietur (*a*). Malum igitur non addetur malo. Deterioribus humoribus non ampliùs obruta Natura tunc sui juris fiet; & cum tantùm valeat in ipsomet statu morboso, eâdem vitæ vi quâ crises & coctiones molitur, in cacochymicam humorum diathesim insurgere, crassa terere, expellere noxia, sicque morbos antevertere multò magis valebit. Inediæ tamen consociare amamus motum lenem & potum aquæ purissimæ, sæpè sæpius frigidæ, quòd tonum fibrarum liberiorem, circuitum fluidorum expeditiorem absque noxâ cieat motus lenis, caloremque à Naturæ conamine excitatum compescat aqua frigida, noxios humores diluat & secum rapiat. Præcipua verò laus inediæ tribuatur. *Fames enim magnam sanandi vim in hominum naturam exercet* (*b*). Plures adhuc alios non minoris momenti effectus præstat inedia. Vix in lucem editus infans pungentis meconii pondere dolet & vagit. Oblatâ non allicitur mammâ. Nullum appetit cibum. Quidnam vagituum causam excludet? Quidnam pabuli appetentiam dabit? Inedia. Gravissimo quidam percellatur mœrore. Contremiscit cor, tremula stringitur arteria, stat non influens nervorum succus, feriantur musculi, frigescunt artus, imminet mors. Quidnam tumultuosos tanti pathematis fluctus componet? Inedia. Incitatissimo vectus equo peregrinatur alter. Succussibus disturbantur functiones. Cephaleâ caput, dyspnæâ pectus, torminibus abdomen, lumbagine truncus, artus lassitudine torquentur. Ut ut sit,

(*a*) *Galenus narrat Antoninum Imperatorem, cujus erat Archiater, ventriculi cruditates depellere solitum inediâ unius diei.* *Vopisc. Fortunat. Plemp* de valetud. tuend. c. X.

(*b*) *Hipp.* de veter. Medicin. §. 15.

currendum ultra. Quidnam anxio viatori succurret? Inedia. Nec plus æquo extenditur istud inediæ præconium, quippe ab Ægyptiorum Medicinâ etiam comprobatur. *Morbos ut antevertant, clysteris, jejuniis & vomitu corpora medicantur...... In omnis enim nutrimenti digestione majorem partem esse superfluam & hinc morbos creari: ideòque curationem jam memoratam quâ principia morbi tolluntur, ad recuperandam valetudinem conferre plurimum affirmant* (c). Præsertim igitur *jejuniis principia morbi tolluntur*, & eorum ope *morbos antevertunt* Ægyptii. Præterea cum Romano Hippocrate censere juvat: *satis sit tum ex toto à cibo, à vino, ab omni motu corporis abstinere, cum vehementes notæ terruerunt. Neque dubium est, quin vix quisquam, qui non dissimulavit, sed per hæc maturè morbo occurrit, ægrotet* (d).

(c) *Diodor. Sicul.* Bibliothec. historic. lib. 1.

(d) *A. Corn. Cels.* Medic. lib. 3. cap. 2.

V.

VERUM absit ut ab *Hygieine* ad *Therapeuticen* concludamus, demissèque & inverecundè Genevensi assentemur Civi, qui nostram artem contumaciter dilanians (a) Medicos eorumque auxilia in dedecus vertere malis omnibus conatur. Huic si foret adhibenda fides, ubi primùm qualicumque morbo correptus jaceret æger, stupidè immotus staret belluarum more, salubribusque surdus consiliis ne minimum quid in spem salutis caperet. Quasi obtrectator ille nesciret bestiis insitum esse à naturâ instinctum, quo suadente vix dum ægrotantes herbacea medicamenta vorant vel avidè aquam exhauriunt medicatricem. Procul ergò absona hæc paritas & à veritate prorsùs aliena & hominis dignitate indignissima. Nunc verò Philosophi nostri fauces inflammatione strangulari, lotiive excretionem supprimi potiori jure supponamus. Nonne in utroque casu exitiosa morbi judicatio & stoliditatis & pertinacis inertiæ piaculum foret? Secùs verò si docilem prudentibus Medicis præbuisset aurem, ex morbo, doloribusque evasisset incolumis, nec solius assectarum commiserationis mancipium factus, languentem, miseram, morosam, inexhaustum stupendæ asperitatis fontem vitam duceret. Manet igitur inconcussa ïatricæ artis utilitas. Integra manet necessitas medicamentorum. In iis præsentium morborum medelam Clinicus quærat. In præcavendis verò morbis *optima Medicina est nullam facere.* Inediæ rem committamus & brevì restituet rem. Ratio, experientia, authoritas, opinioni nostræ suffragantur. Tantis suffulti momentis probè concludere confidimus.

(a) J. J. *Rousseau*, in libro cui titulus est, *Emile, ou de l'Education.* tom. 1. pag. 62. & sequ.

Ergò optima morborum προφύλαξις, inedia.

Proponebat Parisiis JOSEPHUS PHILIP, Intervallæus-Glandatensis, Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author. A. R. S. H. 1763.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.